



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Feria secunda Paschalis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

*Patri &c. oremus. Audeat amor ma-
jora, si generosus est!*

Feria II. Paschalis.

EXHORTATIUNCULA I.

S*urrexit Dominus verè. Sic credi-
mus? fili! nam qui surgit, & iterùm
cadit, non verè surrexit. Surgere igi-
tur, & denuò cadere, est quasi non sur-
gere, imò deterius est, quàm non sur-
gere. Attendat proin, ne in mala, de
quibus per S. Quadragesimam heroicè
surrexit, reincidat in futurum. Relapsus
provocat Deum.*

Instructio meritoria.

*Ecce! sanus factus es! jam noli pec-
care. Linguae per diem hodiernam sol-
licitè invigilemus, ne tempore conver-
sationis deficiat in verba malitiæ. Pro
perseverantia omnium justorum tres
primas Decades ex Rosario Glorioso
cum 12. osculis terræ persolvamus. A
terra discat tacere lingua.*

II.

Nolunt duo discipuli euntes in Emaus
dimittere Dominum, rogantes,

mane nobiscum. Fili! si Deum solummodò ad breve tempus teneamus, & quavis peccandi occasione statim dimittamus, verè Dei Bonitatem deludimus: Sed hoc ò quantâ cum impudentia! nec deerit Judicis vindicta. *Perfidus enim* (minatur S. Bern.) *odibilis est, & filius fiet Gehennæ.* Hæc non terreant?

Instructio meritoria.

Teneamus, & tenendò stringamus Jesum, ne nostris ampliùs excidat osculis, & amplexibus. Hodie in Emaus est; quæramus visitandò cœmeterium, & quia Resurrectio est mortuorum vita, peccatorum venia, & sanctorum gloria, pro solatio defunctorum *speciale Rosarium* de 5. gloriosis Mysteriis oremus cum *Vesperis* ex officio Defunctorum. Quærite, & invenietis.

III.

Fili! ad Resurgentis Jesu aspiramus gloriam? benè. At recordemur, quanta oportuerit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam. A Cruce, à Passione quis nos exemit? sacrum nunquid

quid Pascha? minimè; quia adhuc pendet Christus de Cruce.

Instructio meritoria.

Fortè diabolus tentabit, paschalia turbare gaudia? resistamus fortiter in fide, recitandò Psalmum: *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Tessera sit nobis diurna: *Gaudebo in Domino!* iterum dico: *Gaudebo.* Averfantur hæc gaudia inferi.

Feria III. Paschalis.

EXHORTATIUNCULA I.

Quanta, ô fili! erga incredulum Thomam Dei clementia? *Affer (jubet) manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus sed fidelis.* Non obliviscar tui, quia in manibus meis descripsi te. En! perpetuam nobis promisit Christus nostrum memoriam. Et hæc respectu illius tam rara in nobis! ô confusio! ô ingratitude!

Instructio meritoria.

Cuilibet sacramentali communioni posthac speciale jungamus propositum, quò nostram contestabimur in Deum